
HEMMING
ORAT. FUNEBR.
CHRIST. 3.













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



FVNEBRIS
ORATIO IN MEMORIAM SE-
renißimi Regis Danorum &c. Christiani Tertij Ec-
clesiæ Christi Fidelis nutricij & patris patriæ
dulcißimi, scripta & recitata á Nicolao
Hemmingio in Academia Hafniensi
13. Februarij Anno domini 1559.
quo tempore funus sanctißsi-
mi Regis Othoniæ
Humatum
est.

Psal. 115.

Preciosa in conspectu Domini mors
sanctorum eius.

Hafniæ
apud Christophorum
Barth.



LVctum præsentis huius cœtus, & iustissimum animi dolorem totius Reipub: Danicæ, haud ignoro maiorem esse, quam vt vllius oratione leniri, nedum tolli posse videatur. Amisimus enim (proh dolor) illustrissimum heroa ac clementissimum Regem nostrum, Patrem Patriæ, summum Ecclesiæ Filij Dei in hoc miserrimo mundi statu nutricium, fortissimum veræ religionis propugnatorem, inuictum pietatis omnis ac iusticiæ defensorem, in quem vnicum Ecclesiæ Christi hactenus exultantes et lætæ, tanq̃ summum decus & præsidium in hoc mundo respexerunt: Nunc autem gementes & tristes deiecto vultu, lugent & plorant amissum Hunc inquam amisimus (imo nos ipse reliquit ad miliora concedens) non sine maximo omnium vere piorum dolore & planctu. Cogitant enim pij verbo Dei edocti, de singulari consilio Dei, qui talia lumina ingratissimo mundo eripit, ne is eorum fruatur conspectu, & quodãmodo suis maculis eos contaminet & inuoluat. Norunt Deum iustos colligere, ne ea quæ imminent ceruicibus contumacis mundi cogantur inuiti aspicere. Norunt iustissimi Iudicis Dei iram ostendi, cum tanta pietate tantaq; sapientia pollentes gubernatores ê nostro conspectu submouet. Norunt deniq; quod Deus securum mundum, & in vtramuis aurem stertentem, in suis sordibus huiusmodi veluti flagello acerbissimo ad pœnitentiam compellere consueuit: quam si seriam meditaremur, haud dubiè nobis rursus suam pa-

 ter-

ternam faciem ostenderet, ac misericordię suę atque storgę paternę memor, hunc ingentem luctum magno commutaret gaudio. Quod vt fiat, O pater Cœlestis toto pectore per mediatorem vnicum Dominum nostrum Iesum Christum precor, cum omnibus quibus vera pietas est cordi. Etsi autem ex infallibili voce Dei nobis persuasissimum est, mentem illam beatam sanctissimi Regis, ex hac turba & colluuione infinitorum malorum, ac veluti officina omnium scelerum opulentissima, ad cœtum illum tranquillum beatorum animorum, & ad castissimarum mentium patriarcharum, Regum & Prophetarum concilium migrasse, ac ibi gratissima, & optatissima requie cum Filio Dei Domino nostro Iesu Christo frui. Huic enim nunc coram Filio Dei Rege Regum, & Domino dominantium gratulantur Sanctissimi Reges, Dauid, Iosias, Ezechias quod Christo sceptrum verbi sui prętendenti homagium præstiterit, eum osculatus sit, ei cum timore & tremore seruierit, & nunc seruiat, in eo vnico exultauerit saluatore, ac tandem illi animam sanguine Regis sui Christi tinctam moriturus commendauerit: Tamen quia nos decet qui superstites sumus, & sub agentis nobiscum in hac vita fœlici gubernatione beati fuimus, gratam memoriam sanctissimi Regis nostri retinere: operepretium existimaui nonnulla hoc tempore de optime de omnibus Ecclesijs Christi, & republica nostra merito in medium adferre, non quod sperem me huius Patris patriæ nostrę virtutes digna oratione prose-

qui

qui posse, quas is solus plures in vita sua spectandas exhibuit, quam Philosophi multi longis voluminibus complecti potuerunt. Nam vt Pindari verbis vtar, singularum virtutum cacumina decerpsit, vt qui non spectra virtutum sectatus est, sed veris virtutibus supra omnes emicuit: adeo vt exemplar virtutum omnium heroicarum & communium illustre statui posſit: de quibus sigillatim dicere pro eius meritis, nec est mearum virium, nec huius temporis ratio id pati videtur. Quare ab historia integra totius vitę sanctiſsimi Regis texenda abstinebo, ac tantum ea breuiſsime attingam, quę huic loco & tempori quam maxime accommodata esse videbuntur. Quo autem certum sit orationis nostræ initium, progressus, & finis, potiſsimum eas, quibus in gubernatione excelluit virtutes nobis admirandas proponamus, idq́ adeo eam ob causam, vt semper dulcis grataq́ sit, nobis qui sub eius tutela viximus, tam sancti principis, Patris Patriæ suauiſsimi memoria. Tria itaq́ in vniuersum sunt, quorum curam pium principem habere oportere, sapientes olim censuerunt, ac hodie pij omnes veterum censuram approbant. Horum primum est societatis ciuilis prudens gubernatio. Alterum Ecclesiæ conseruandę studium. Tertium propriæ domus honesta & sancta administratio. In his enim tribus vt plena principis cura continetur: Ita ad officium in his pręstandum summę virtutes & indefeſsi labores requiruntur, adeo vt non frustra dixiſse vi-

 dea-

deatur ſapiens Homerus. Haud decet principem virum totam ſtertere noctem, cui populus commiſſus eſt, & tanta negotia ſunt curæ. Volo igitur breuiter indicare potius q̃ explicare, qualem ſe noſter ſanctiſsimę memorię, Rex innocens, & dulcis Pater patrię in his adeo arduis ac pene diuinis muneribus pręſtiterit, quo in maiorem virtutum nunq̃ ſatis laudandi Regis admirationem excitemur, & magis gratam memoriam tam chari Patris patrię retineamus. Primum itaq; politica ſanctiſsimi Regis gubernatio nobis eſt ſpectanda, in qua quomodo ad Regium faſtigium peruenerit, quam fœliciter regnum adeptus idem adminiſtrauerit, quibuſq; rationibus regnum ſancte ac iuſte partum in tam diuturna pace tot annis vndiq; frementibus hoſtibus conſeruauerit (quod ſane non abſq; ſingulari beneficio Dei fieri poſſe, omnes ſani haud obſcure intelligunt & admirantur) altius perpendendum eſt. Quantum igitur ad Regni poſſeſsionem attinet, longe alia ratione regnum conſecutus eſt, quam multi olim & noſtro ſęculo non pauci, qui non accerſuntur vltro, ſed ſponte inuitis ſe obtrudunt, ac armis quod iure ſibi minime debetur, violenter occupant: non aliud profecto ſpectantes, quam vt quamplurimis imperitare videantur, & late ſuum per orbem celebretur nomen. Sed quid hic noſter? Oblatũ aliquoties regnum modeſté recuſauit. hoc ſane ſtultum pronunciaſſet Nero, ſed Solomon laudaſſet factum. Prudenter enim cogitauit ſapiens princeps, non ſine maximis curis rempublicam adeo laté ſparſam gubernari poſſe. Quare potius optauit ſuam mediocrem or-

nare ſpartam, quam maiora gubernationis onera in ſe recipere. Verum poſtq̃ hoſtes quidam in hoc regnum dolo & fraude quorundam inuaſiſſent ac pene totum regnum occupaſſent, iterum ſolicitatur a ſenatu huius regni ſapientiſsimo pijſsimus princeps, vt periclitanti Patrię & vicinis(quibus olim beatę memorię, Fredericus primus Pater ipſius, Rex pręfuit) opem ferat, hoſtes coniunctis ſuis cum danorum viribus regno expellat, gubernationem horum regnorum ne recuſet. Hic quid faceret pijſsimus princeps? Sciuit mandatum Dei eſſe prohibere iniuriam: ſciuit pręclarum & pium eſſe pereclitanti ſocietati humanę opem ferre. Quare victus honeſtate cauſæ & precibus eorum, qui ipſum ſolicitarunt adactus, dat fidem ſe facturũ quod petunt: pericula adit, theſauros regios á Patre ſibi relictos in militem expendit, arma induit, hoſtes fundit & vincit: quibus victis & ſuperatis tandẽq; clementiſsime dimiſsis, diademate regio in hac vrbe donatur. Hoc fuit auſpiciũ regni optimi Regis, in quo conſpiciuntur virtutes illę, quas Marc⁹ Cicero in bono imperatore inquirit, quę ſunt ſcientia rei militaris, virtus, authoritas, fœlicitas, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſiliũ in prouidendo. Has virtutes vera pietate temperatas, ſocias, victor princeps in depellendis hoſtibus á capitib⁹ noſtris habuit. Quid in his regni auſpicijs non laudandũ? Quid non potius ſummis extollendũ laudibus? Quid non omnib⁹ pijs principibus imitandũ? pietate mot⁹ afflictis opem tulit, fortitudine hoſtes repreſsit

 cle-

clementia victis pepercit, ac ita diadema á Deo sibi datum accepit, Id omnino sentiens quod apud Homerum dixit Achilles φρονέω ἦ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ, Cum ergo sciret Deum regna transferre & dare quibus illi visum fuerit, regnum à Deo sibi traditum gubernandum suscepit. Quod quomodo administrauerit iam dicendum est. Postq̃ itaq; regnum iusté adeptus est, eius administrationem a pietate inchoandam piè iudicauit, id quod veri Regis officium esse etiam agnouerunt prophani Philosophi inter quos Xenophon suum Cyrum precipuam religionis curam habuisse testatur. Cum vera pietate coniunxit gubernator fœlix sapientiam, iusticiam, clementiam, fortitudinem animi inuictam, studium pacis, fidem, liberalitatem, paternum affectum erga subditos, & alias preclaras & heroicas virtutes pene innumeras. Sapientiam summam cum sapientissimo senatu regni in legibus, in iudicijs, & reliquis actionibus ad prudentem administrationem spectantibus adhibuit. Iusticia eius refulsit ἐν τιμῇ καὶ τιμωρίᾳ non ignorans Deum qui summe est iustus iustis fauere, & tanq̃ parastaten ijs adesse, qui iusticiam colunt, iuxta vetus poetę dictum, Qui colit iusticiam Deum in acie socium habet. Hanc iusticiam clementia temperauit, qua nihil laudabilius, nihilq; magno & pręclaro viro dignius esse potest. Hæc clementia fecit vt magis verendus quam metuendus suis fuerit subditis. Clementia enim vt beneuolentiam veram conciliat: Ita facit ne princeps a suis sibi metuat subditis.

Vnde

Vnde Tragicus latinus recte dixisse censendus est, cum ait, magnum timoris remedium est clementia: Cum contra qui sceptra duro sæuus imperio regit, timet timentes & metus in autorem redit, quemadmodum idem testatur Poeta. Nam tametsi metus principis adulationem & simulationem parere potest: tamen verã beneuolentiã coniunctam nunq̃ habuit. Vnde Democrit⁹ ὁ φόβος κολακείαν τίκτει, εὔνοιαν δὲ οὐκ ἔχει. Hoc est, Metus adulationis mater beneuolentia destituitur. Hęc clementia sanctissimi Regis omnium oculos in se conuertit: desiderarunt absentem: amarunt pręsentem: admirati sunt loquentem: obtemperarunt haud inuite imperanti: gubernãti vitam & fortunas subiecerunt suas: breuiter hęc Regia clementia omnes incolas regni arctissime illi copulauit, exteros Reges & principes multos & illustres, in procul dissitis regionibus ad perpetuum fœdus ineundum cum illo inuitauit, breuiter hęc clementia Serenissimo principi veram beneuolentiam omnium, ac storgam quandam qualis liberorum erga parentes esse soleat, conciliauit. Fortitudo quoq; animi huius Regis quàm fuerit inuicta, res ipsa ostendit. Nam cum sæpe hostes propemodum finibus regni imminerent potentes & multi, exemplo sanctorum Regum armis rarissime, sepissime precibus eos superauit. Vt enim chariorem habuit subditorum salutem, quam vt temere ipsos hostibus obijceret trucidandos: ita fortius presidium in precibus quam in armis collocauit: Non solum exemplum Dauidis secutus qui

ait

ait: Hi in curribus, hi in equis, nos autem nominis Domini Dei noſtri recordabimur: ſed etiam Salomonis (qui pĳſsimi Regis ſapientiſsimus Filius fuit) ſententia fretus, qui ſpiritu Chriſti per ipſum loquente ait: Turris fortiſsima nomen Domini, ad eam confugiet iuſtus & liberabitur. Nec hac ſancta fruſtratus eſt fiducia, qua veluti fortiſsimo pręſidio & regnum ſuum tutatus eſt, & grauiſsima pericula a noſtris ceruicibus depulit. Huic fortitudini coniunctum erat in ſanctiſsimo principe ſtudium pacis, tantum, quantum in vllo mundi principe fuiſſe proditum eſt. Sciuit enim pacificus princeps, nihil pace optabilius eſſe in humana vita. Sciuit pacem fouendam vt pie & Sancte inter homines viuere liceat. Sciuit quod eſt apud Euripidem, religionis nullum locum eſſe, vbi armorum ſtrepitus nunquam non territat homines. Alĳ principes multitudinem tropheorum relinquere ſuis poſteris glorioſum ducunt: Verum hic noſter, cuius conſilia vera pietas & amor patriæ rexit, iuxta grauiſsimi Philoſophi Xenophontis ſententiam, honeſtius eſſe arbitratus eſt multitudinem beneficiorum q̃ tropheorum poſteris relinquere. Ex quo & hæc laus ipſi merito debetur, quod facile omnium principum mundi pactorum & fœderum obſeruantiſsimus fuerit. Nam nulli vnq̃ fidem datam violauit, non technas & fraudes excogitauit, quibus fœdera violare poſſet. Vt ergo dolo & fraude omnibus mũdi principibus inferior: ita fide & pactorum conſtantia cunctis ſuperior abſq; controuerſia fuit. Pietate enim ſuadente,

dente, & socijs fidem datam seruauit immotam, & subditis fidelem & constantem se perpetuo exhibuit, statuens non tam ferro, quam fide & pactorum constantia, et imperium & principem securum reddi. His virtutibus in gubernatione adiunxit liberalitatem vere Regiam, quam non solum in suos benigne, verumetiam in peregrinos gloriose exercuit. vtrumq; enim vere regium putauit, & nemini nocere contra leges, & nemini non prodesse cum legibus. Huius regiæ liberalitatis multi pij non solum in his regnis et ditionibus, verumetiam in exteris nationibus sunt testes. Neq; enim satis est, si Rex in suos fuerit munificus, sed oportet etiam in peregrinos esse liberalem, vt vere de ipso dici possit illud q̊d in summis laudibus Thesij Regis Atheniensium posuit Euripedes εὐεργέτης βροτοῖσι, καὶ μέγας φίλος, Hoc est, Beneficus et mortalib: magnus amicus. Ex his præterea haud obscurum cuiq̃ esse potest, quam fuerit bene et amanter erga omnes affectus, vt qui erga subditos suos sicuti pater benignissimus, erga socios et confœderatos tanq̃ frater extiterit. Verum vt rem vniuersam in angustum colligam: Hic rex noster re et nomine Christianus, studia omnia et facta, Dei lege, naturę regula, iuris norma et Charitatis consilio omnino metiri et temperare conatus est. Talis prorsus fuit in tota sui regni administratione, qualem depingit bonum principem Homerus, his versibus.

Βουλὴν μὲν πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων
λαῶν, οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν,
οὔτε τινὰ ῥέξας κακὸν ἔξοχον, οὔτε τι εἰπὼν
ἐν δήμῳ, ἥ τ' ἐστι δίκη θείων βασιλήων.

Hoc eſt,

Primum conſilij cauſa, ſtabilito ſenatorio ordine, populis quibus imperauit tanq̃ blandus pater præfuit: nemini quicquam mali fecit per iniuriam, de nemine in republica male locutus eſt, quod ſanè ius diuinorum Regum & officium exiſtit.

Attigi hactenus quomodo regnum adeptus ſit, et quo pacto acquiſitum regnum adminiſtrarit ſanctiſsimus Rex. Iam paucis reuocandum eſt nobis in memoriam quibus præſidijs adeo diuturnum imperium contra hoſtes, qui ſæpius tentarunt hoc regnum inuadere, conſeruarit. Veteres philoſophi dixerunt regna conſeruari εὐεργεσίᾳ τιμῇ καὶ τιμωρίᾳ. Hoc eſt, beneficentia, honorum tributione, & puniendi ſontes cura, hoc quidem vere dicitur, ſi ipſos ciues ſolummodo, & non externa pericula ſpectes. Verum ſi hoſtes conſideres nihil verius dici poteſt, quam quod Seneca dixit: Nulla vis maior pietate vera. Hoc Pietatis præſidium tantum fuit in hoc noſtro heroe, quod nec aperti hoſtes, nec ſimulati amici (quales credo ipſum aut nullos aut perpaucos habuiſſe) ſuperare potuerint. Hac hoſtes vicit, hac ſubditos in officio continuit, hanc in conſultatione adhibuit, hanc iudicijs præfecit, hac ſententiam temperauit. Deniq; in omnibus ipſius actionibus ſummum refulſit pietatis decus. Hoc pietatis

ſtudi-

ſtudium effecit, vt externi amici ſocijq́ indies plu-
res ſint facti, incolarum, nobilium & ignobilium
beneuolentia creuerit, ipſius prudentia in regno
adminiſtrando incrementa acceperit, quibus tribus
hoc eſt, amicorum uirtute, ciuium beneuolentia, &
Regis prudentia regna & Reges conſeruari pro-
nunciauit Iſocrates. At ſi iſtis veram pietatem prę-
feciſſet moderatricem, pleniorem & firmiorem con-
ſeruandorum regnorum Regulam tradidiſſet. Qua-
re nos pietati optimi Regis (cui reliquę virtutes
ancillabantur) acceptam tam diuturnam regni con-
ſeruationem feramus. Hactenus de prima cura
principe viro digna, quã habuit Sereniſsimus prin-
ceps dixi, & breuiter oſtendi quomodo principa-
tum adeptus ſit in his regnis, quo pacto rexerit par-
tum regnum, idemq́ in adeo tranquillo ſtatu tanto
tempore conſeruauerit: Nunc quod ſecundo loco
propoſui de cura religionis, breuius attingam: tum
quia nonnihil de ea ſuperius attigi, tum quia nulla
oratione ſatis explicari nedum laudari poteſt. Sta-
bilito itaq́ regno, pié & ſapienter intellexit, ad tu-
endum ſaluum atq́ integrum ſtatum reipublicę, an-
te omnia religionis curam habendam eſſe: Quod eti-
am prophanus Ariſtoteles, (etſi neſciret verę reli-
gionis rationes) intellexit neceſſarium eſſe. Quanto
quæſo magis eos magiſtratus, qui Chriſtiani haberi
volunt, vt cultui Dei ſuus conſtet honos, pręcipue
laborare decet: ſiquidem huius vera cura plurimo-
rum bonorum cauſa eſt, & contra contemptus, has
quas multis perpeſsi ſumus ſeculis calamitates, nobis

 inuex-

inuexit. Hic enim cõtemptus domeſtica auget ma-la, diſſenſiones, lites, concertationes, idololatriam, ho-micidia, latrocinia, periuria, & quid non mali? De-us vt contemptum ſui puniat, immittit peſtem, hoſ-tes extraneos, tempeſtates, & alia ſuę iuſtiſsimę irę flagella. Neq; dubium eſt quin religionis verę con-temptus ipſam crudelem turcarum gentẽ in Chriſ-tianum orbem excitarit. Hæc tot & tanta mala a ſe homines non poſſunt auertere, prius q̃ religio recte procurata ſit, & hac inſtaurata vita hominum in melius fuerit commutata. Hoc ergo cum intellige-ret ſanctiſsimę memoriæ Rex noſter, pręcipua arma ſicuti antea attigi, tuendi regni in vera religione po-ſuit: atq; ideo omnium primum eius curam haben-dam duxit. Plurimum errant omnium ſanorum iu-dicio, qui religionem ad principes haud pertinere arbitrantur, ſed de ea debere pontifices ſtatuere & vulgo pręſcribere quicquid libet. Nam hoc contra omnium gentium morem, cõtra Iſraeliticam politi-am, & contra omnium ſanctorum imperatorum & Regum exempla ſacrilege & impie aſſeritur. Ariſ-toteles de moribus gentium locutus, teſtatur ſacra ſolis Regibus relicta eſſe. Plato in Repub: magiſtra-tui ſuo cultum Dei et miniſterium ſacrorum man-dat. Moſes idololatram iam factum ſummum pon-tificem corripit ac inſtrumentum idololatriæ con-fringit. Præterea eſſe proprium Regium munus religionis curam habere, intelligit is qui vnde po-teſtas regia occaſionem et initium ſumpſerit, ani-

mad-

maduertit. Negare nemo potest quin patrisfamilias præcipua cura religionis esse debeat. Iam a propagatione familiarum occasionem sumpsit Regia potestas. Familias primum rexerunt qui ætate et sapientia anteirent cęteris: atq; ideo etiam summo fungebantur sacerdotio. Deinde postq̃ in ciuitates excreuerunt familiæ, loco patrumfamilias ipsi Reges pręerant. Cum igitur patrumfamilias vice funguntur Reges, decet profecto, vt veluti patres familias primam et pręcipuam religionis curam habeant, vtut contra insaniant Cyclopes et pontificij τῇ γαστρὶ ȣ̓ τῇ ψυχῇ σιώδειπνοι vt plutarchi verbis vtar: nã illis non lex Dei, sed voluptas carnis vitę norma est. Cum igitur Regium munus esse constat religionem veram inter homines propagare, summis laudibus Regis nostri clementissimi asscribendum est, quod a religionis verę cura imperium suum exorsus sit. Verum vt status in religione firmior et diuturnior esse posset, primum sapienter non sine sapientissimo senatus Danici consilio verę religionis impedimenta amouit, idololatriam prohibuit, missas et prophanationes cœnę Dominicę aboleuit, pios Ecclesiis gubernatores præfecit, Scholam hanc Haffniensem tanquam officinam pietatis ac honestatis erexit, Doctores aliunde magna cum solicitudine et impensis accersiuit, erectam scholam, et professoribus ornatam liberalissime dotauit, literis confirmauit, priuilegijs locupletauit, docentes et discentes vt pater fouit: eo deniq; omnes neruos intendit, vt summa

 sin-

sinceraq́ꝫ religionis in his regnis & prouincijs con‑
cordia seruaretur: quo sancto studio Dauidis, Eze‑
chiæ, Iosiæ, Theodosii exempla non ęquasse, sed su‑
perasse propemodum mihi videtur. Nam vt Da‑
uid summum gaudium duxit vna cum suis subdi‑
tis in Ecclesia Deum celebrare: Sic noster Rex de
quo verba facimus se alijs exemplum statuit, sacras
ministerij diuini ędes visitauit: illic cum alijs Deum
celebrauit, preces fudit, gestibus totius corporis a‑
nimi pietatem significauit, sępeq́ꝫ graui afflictus va‑
letudine id præstitit: neq́ꝫ hoc immerito. Nam in
vera pietate sitam esse optimè nouit, tum animę
proprię, tum Reipublicę cui pręfuit salutem. Non
iudicauit sicuti multi, proh dolor, faciunt, sanctita‑
tem, pietatem et religionem priuata bona esse, quaq́ꝫ
iuuet ire regibus permissum: sicuti ille in Tragœdia
impié dixit, Sed suum officium statuit esse, alijs, vt
cęteris virtutibus: ita etiam pietate anteire. Atq́ꝫ
hęc breuiter sint notata de altero officio pij princi‑
pis, quod in religionis cura cernitur: in quo nullo
Regum aut principum totius mundi inferior fuit
hic noster Rex & Pater patrię quemadmodum res
ipsa loquitur, & pij omnes qui ipsum norunt testan‑
tur. Nam vbi quęso terrarum, tantus in religione
consensus? Vbi melior administrandę reipublicę
Ecclesiasticę ratio? quę vnquam heresis hoc sanctis‑
simo Rege gubernante hic est orta? quæ aniles dis‑
putationes in religione sunt hic motæ? quis Ana‑
baptistis locus? Quæ Suermeris sedes? Hæc
omnia secundum Deum, sanctisima principis cura
effecit.

effecit. Sciuit enim prudenter exiguum fermentum totam massam acidam reddere, et minimam erroris labem plurima mala ac scandala accersere. Hanc curam si multi principes parem cum illo habuissent vt minus dissentionum esset in multis nationibus ita plus sanctę & pię concordię tum inter docentes, tum inter principes & subditos. Sed hæc Deo emendanda relinquimus. Nunc ad tertium officium pij principis accedamus, quod in proprię domus sancta & pia cura administrationeq́ positum est. Nam vt iuxta Pauli sententiam, infideli deterior est qui propriam familiam negligit: Ita sancta cura & diligens in sua propria domo gubernatio, argumentum est animi optime erga Rempublicam affecti. Nemo enim publica amare putatur, qui propriam domum non recte administrat. Paucis igitur qualis huius sancti principis cura in priuatæ familiæ gubernatione fuerit, videamus. Quo singuli nostrum ad acre rite regendæ familiæ studium excitemur. Non q̊d eã qua ipse excelluit, assequi valeamus: Sed vt hoc præclaro exemplo proposito annitamur, pro viribus quisq́ suis vt aliquousq́ saltem progrediamur. Primum itaq́ voluptates, quas non solum priuatis verumetiam principibus viris perniciosas esse sciret, perpetuo fugit vt pestes. Id autem quia difficilius est in ijs qui opibus & potentia abundant maiore laude dignus iudicandus est princeps temperantissimus, qui non seruiuit turpiter, sed imperauit potius generose voluptatibus. Hic principum, nobilium, ignobiliũ, cleri, vulgi cõmune & inueteratum

 malum

malum, ebrietatem exoſam habuit: Non enim ignorauit perinde ſe habere mentem hominis turbatam ebrietate, atq; ſe habet currus excuſſo auriga. Deinde nullum admiſit luxum principe pio indignum, Sed ſtatum regium in Oeconomia Magnificé tuebatur. Præterea vt in republica non fuit Leo, ſed potius blandiſsimus pater: Ita in ſua propria familia ſanctiſsimam curam adhibuit, ne quid deſignaret, quod parum deceret pium patremfamilias: imo ſanctiſsimi Dauidis imitatus eſt exemplum, qui in ſua Domo & Pater & Propheta extiterit. Caſtiſsimam coniugem, illuſtriſsimam Reginam Dorotheam dominam noſtram clementiſsimam vera ſtorga complexus eſt. Liberos ſuos illuſtriſsimos principes in timore Domini & ſancta diſciplina educauit. Familiam charam habuit, adeo vt ipſum ſinguli non tam timerent ſeruiliter, quam amarent liberaliter, omnibus ſeipſum pietatis, ſobrietatis, & aliorum piorum exercitiorum exemplar exhibuit. Mane finita oratione ſua ad Deum pro Eccleſia, Republica & propria domo, aut alium concionantem audiuit ſumma cum pietate & deuotione (Non enim iudicauit ſe hominis vocem audire, ſed Deum loquentem per hominem) Aut ipſe ſuis concionatus eſt, id quod ab eo frequentiſsime factum eſſe conſtat. Non enim putauit ſe dedecere, quod laudi aſſcribitur alijs ſanctis Regibus, Dauidi, Solomoni, Ezechiæ, Ioſiæ, & ſimilibus non quidem multis, vt vera fatear, ſed paucis admodum qui

voce

voce cœlesti approbati sunt. Nam qui pius esse velit, siue in Magistratu sit, siue priuatam agat vitam, non tam numerum multorum quam excellentem paucorum pietatem spectare debet. Nunq̃ enim quę optima sunt, placuere nisi paucissimis. Vt enim malis exemplis (vt est in prouerbio) terra mareq́ plena sunt: ita pauci existunt, qui asperam virtutis viam calcant. Verum postquam oratione, concione, cantione & se ipse erexisset & alijs pietatis exemplum præbuisset libellos supplices manu propria accepit, legit, responsa dedit, nec calamitatem vllius contempsit, Sed placide querelas audiuit, & aut statim præsens auxilium tulit, aut animum afflictum leuauit consolationibus, iubens certo tempore redire. Non durus erat calamitosis sicuti multi ignari rerum futurarum sortisq́ communis, sed gratus erat, amabilis, affabilis, summe suauis, multa largiens, Nihil afflictis petentibus recusans. Ex quo quidem factum est, vt omnes ipsum Patrem patrię, singuli vero vt proprium patrem amauerint. Omnibus his rité & fideliter peractis ad prandium se contulit, ad quod vt plurimum vocare solitus fuit, aut aliquos ex sapientibus regni consiliarijs, cum quibus de Reipublicę statu amãter placide et prudenter confabulabatur, aut aliquos ex doctis concionatorib⁹, siue alios quorũ doctrina conspicua fuit, adhibuit: Cum quibus aut de Historijs disseruit, aut de religione pié disputauit

 Vnde

Vnde multiplicem fructum reportauit. Primum e-
nim audiendo alios ſapientior ipſe euaſit. Non enim
ignorare potuit prudentiſsimus princeps ex con-
uerſatione ſapientum, ſapientiam accreſcere, id
quod etiam factitaſſe ante illum conſtat, quotquot
præclare imperia adminiſtrarunt: Cum contra, fu-
gientes ſapientum colloquia, regna parta miſere
perdidiſſe teſtantur hiſtorię. Deinde qui cum eo fa-
miliarius vixerunt, non ſolum ipſi ſuum Regem ar-
dentius amarunt: Sed etiam ipſius ſanctiſsimos mo-
res imitari didicerunt, non ſine ingenti multorum
commodo. Tertius fructus quem ex eo percepit
quod ſapientum familiaritate oblectatus ſit, pręſer-
tim in prandijs & cœnis eſt quod ipſius illuſtriſsimi
liberi inde a primis incunabulis ſapientis gubernati-
onis, & perpetuę durantis pietatis præcepta perce-
perint, hauſerint, imbiberint. Alexander magnus
prędicatur q̃d ſapientiã ab Ariſtotele didicerit. Hi-
ero, Pindarum & ſimonidem agnouit magiſtros. Sed
illi vt homines priuati, quod docuerunt verbis, fac-
tis nequaq̃ demonſtrare potuerunt: quę duo ad
recté docendum requiri omnium ſapientum ſuffra-
gia conſentiunt. Ideam boni principis & veluti
ἐικασίαν cogitarunt iſti, at hęc domeſtica ſchola pie-
tatis & ſapientiæ non ſolum Regulam, verumetiam
viua & illuſtria exempla quotidiana habuit. Multo
ergo rectius ſcientia gubernandi ab eo diſci poteſt,
qui ipſe non ſolum tenet ſcientiam gubernandi, ſed
etiam exemplum exhibet ſe ipſe viuum ſapientis gu-
bernationis. Similiter & pietas rectius percipi ne-

quit,

quit, quam ab eo Magistro qui non solum de pietate verba facit, Sed pietatem factis exprimit & demonstrat. Fœlices ergo putandi sunt illustrissimi principes, Filij huius sanctissimi Regis, quibus non solum contingit pater isq; Rex potentissimus, Sed etiam sapientiæ & pietatis doctor & exemplum, a quo sapientiam & pietatem didicisse potuerunt, quod eos etiam fecisse nemini dubium est. His accedit quartum commodum, quod fœlices videantur futuræ illę Respublicæ, quibus gubernandis tanti Regis adeo sapientis & pij liberi prefecti fuerint gubernatores. A prandio regio quoties publica negotia non prohibebant, oblectauit se pius princeps nūc lectione sacra, nunc historijs, nunc pijs cum suis liberis colloquijs, nunc rebus mathematicis, quibus mirum in modum afficiebatur: Summum enim oblectamentum sapienti principi fuit cursus planetarum & aliorum siderum cælestium comtemplari, idq; in instrumento Mathematico, quale ante nostra secula visum non fuisse multi prædicant, ibi admiratus est sapientiam artificis Dei, & q̊d ex sacris libris de potentia & sapientia Dei cognouerat, id in mundi admiranda machina tanq̄ in speculo contemplabatur, non sine gratiarum actione. Nam vt Dauid admirans huius mundi pulcherrimum ordinem ait: Cæli enarrant gloriam Dei, & simul rapitur spiritu ad contemplandum Ecclesiam in qua Christus verus Sol lucet: Ita Paulus testatur fide intelligi aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent, significans neminem proficere ex con-

templatione naturæ ad Deum ritè colendum, nisi prius fidei lumine fuerit illustratus. Attulit ergo Rex sanctus fidei lumen, ac diuinitatis sapientiam & potentiam pia cum voluptate in mundi machina contemplatus est. Vesperi facta cœna, & Paululum oblectatus musica (hanc enim amauit tanq̃ ordinis statuum hominum & officiorum in bene constituta Republica iucundissimam imaginem admiratus est) nunc lectioni se dedit, ipse, nunc alios legentes ac potissimum diuini verbi precones, quos semper ferè apud se habuit, audiuit. Deinde factis ad Deum precibus quemadmodum mane facere consueuerat se quieti tradidit, cogitans de ęterna requie, quę has ærumnas præsentis vitæ excipiet.

Hic fuit cursus vitę sanctissimi Regis 23. Annis tanto enim tempore regnum Danię sua sancta cura summisq́ laboribus administrauit. Summa fuit eius cura in gubernatione ciuili, precipuum religionis studium, sancta & innocens domestica disciplina. Quę virtutes non solum ipsum commendabiliorem suis reddiderunt subditis, Verumetiam plurimos peregrinos, principes & alios in eius admirationem excitarunt, adeo vt pij omnes ad eum tanq̃ omnis pietatis & honestatis viuam imaginem respexerint. Hæc habui, quę hoc tempore de Serenissimo Rege nostro Christiano eius nominis tertio dicenda iudicaui. Nam de exitu ipsius ex hoc calamitoso mundo in quo se heroicum virum in constantia & fide Christiana exhibuit Deo

à quo

à quo accepit, & regnum & animam commen-
dans, nolo quicq̃ dicere, propter a quod chariſsimus
meus collega Doctor Iacobus Bordingus, qui tum
præſens ei adfuit mortis eius hiſtoriam planiſsimam
contexuit. Quare nos tantum volo in fine huius meę
orationis admonitos, vt Deo agamus gratias, non
ſolum quód adeo pium nobis dederit Regem, qui
vt in gubernatione erat iuſtiſsimus: ita ſanctiſsimis
ſuſpirijs animam hinc diſcedens Deo commendauit,
Verumetiam quod Filium illuſtriſsimum princi-
pem Dominum Fredericum Dominum noſtrum
clementiſsimum nobis dederit in regnis paternis
ſucceſſorem, Qui vt paternis inſiſtit veſtigijs: ita
non dubito fœlicem & ſalutarem fore adminiſtra-
tionem, modo noſtra peccata tantum bonum
non impedierint. Agamus igitur ſeriam pœniten-
tiam, & Deum precemur, vt velit ſuam Eccle-
ſiam in his regnis conſeruare poſt hac, quemad-
modum hoc ſancto Dauide noſtro regnante fe-
cit. Te igitur Deum Patrem Domini noſtri Ieſu
Chriſti toto pectore rogo, vt noſtrum electum
Regem illuſtriſsimum principem Dominum Fre-
dericum tuo dones Spiritu, eumq́ gubernes vt
paternis veſtigijs inſiſtat, & nos propitius reſpi-
cias vt & te veris colamus cultibus Regemq́
noſtrum ſanctiſsimi patris illuſtriſsi-
mum filium veris honore-
mus obſequijs.

ELEGIA IVARI Bartholini.

Quæ regio in terris noſtri non plena doloris?
  Hæc mala quæ fando temperet à lachrimis?
Occidit ah Patriæ pater, óccidit altera Danis
  Spes, & principibus gloria prima viris.
Nam modo Chriſtigerum tali de nomine Ternum,
  Triſtia Danorum fata tulere ducem.
Flere iuuat, minuent lachrimæ fortaſſe dolores,
  Accipite ô luctus ventus & aura meos.
Hemmingus doctis ſimul hic ſingultibus auras
  Implet, & ô nimium triſtia, fata dolet.
Multa gemens, Regis pietatem narrat & acta,
  Acta per extremas cognita Thermopylas.
Iuſticiæ ſtudium, placidæ poſt pacis amorem
  Munificumq́ſ ſimul prædicat ingenium.
Sic tenui gemimus defunctum carmine Regem
  O Regem ſtudijs portus & aura meis.
Quis memoret quanta cum dexteritate tot annos
  Rexeris imperio Danica ſceptra tuo?
Iam te poſt cineres totus mirabitur orbis
  Flebit & ablatum Danica terra Ducem.
O dolor, ô lachrimæ, quos attulit illa dolores
  Lux quæ Chriſtigeri nuncia mortis erat?
Tu tamen æternum Chriſto cum ſemper amato
  Rex fruere æternis Maxime delicijs.

